XXXIII. Nyctanthes elongata, *nova Planta Indica, quam, deſcriptione atque icone illuſtratam, illuſtriſſimæ Societati Regiæ* Londinenſi *reverenter offert* Petrus Jonas Bergius, *M. D.* Suecus, *R. Soc.* Lond. *aliarumque Societ. Membr.*

Read May 9, 1771. ETSI Botanicis plantarum in India orientali naſcentium multa dudum meſſis fuit, tamen non dubitandum arbitror, quin adhuc ſatis amplus variis locus detur ſpicilegiis. Loquor jam potiſſimum de oris oceano vicinis, quæ plantarum curioſis identidem patuerunt; non de regionibus iſtius terræ ab oceano remotioribus, utpote quæ, a nullo botanico in hunc uſque diem calcatæ, adeo non novarum minuſve cognitarum plantarum offerrent ſpicilegia, ſi cuiquam oculatiori contingeret eas adire, ut potius integram atque abundantem earundem ſine dubio præberent meſſem. Ut autem harum regionum gaza herbaria admodum foret exoptanda ſummoque niſu deſideranda, ita nec illarum exilior forte jam reſidua ſupellex ullatenus eſt contemnenda, quin potius attentis, quoad liceat, oculis conſideranda ab unoquoque, qui contemplatione naturæ, uti par eſt, delectatur.

Ego proinde cupide ac libenter excepi oblatas mihi aliquoties ab amicis, ex itinere Chinenſi reverſis, haud paucas ſtirpes, in diverſis oceani Indici inſulis

The Royal Society is collaborating with JSTOR to digitize, preserve, and extend access to *Philosophical Transactions (1683-1775).* www.jstor.org

deprehenſas; quas ubi ſtudioſius contemplor, videoeuq nonnullas raritate præſtantiſſimas, atque idcirco novas, quod Botanicorum antea innotuerunt nemini, congruens meis puto ſtudiis eas omnes impenſe examinare apteque deſcribere & delineare. Cæterum ne hæcce res juſto diutius duci per alias meas occupationes videatur, occaſionem ſectabor quam potero primam delicias haſce cum orbe erudito communicandi.

Patiatur itaque illuſtriſſima Societas Regia Londinenſis, quod ad acta ipſius nunc illico tranſmittam exactiſſimam iconem idoneamque deſcriptionem novæ cujuſdam plantæ Indicæ, quam ad Nyctantis genus amandare debui, etiamſi illius habitus ſatis abludit a cunctis dudum cognitis Nyctanthis ſpeciebus. Una quidem harum, nempe Nyctanthes multiflora, a Cl. *N. L. Burmanno*, *Flor. Ind. tab.* III. *fig.* 1. delineata, quodammodo cum mea convenit ipſo florum ſitu; ſed tamen valde ab ea diſcrepat, non ſolum florum magnitudine, ſed etiam foliorum figura & reliquo habitu, unde quoque diverſitas ſatis elucet ſpecierum.

Icon adjuncta (TAB. XI.) ramulum refert naturali magnitudine expictum; & vero ramulum ipſum accepi ab amico *C. G. Ekeberg*, ex itinere in Chinam domum non ita pridem feliciter redeunte.

NYCTANTHES *(elongata)* foliis cordato-lanceolatis acutis elongatis minoribuſque, ramis teretibus.

DESCR. *Caulis* fruticoſus. *Rami* ſubprocumbentes, oppoſiti, teretes, inferiores glabri, ſuperiores villoſi, ramoſi: ramulis oppoſitis. *Folia* oppoſita, cordato-lanceolata, ſubbipollicaria, acuminata, integerrima, utrinque glabra, nervoſa, margine paululum undulata, ſaturate viridia; inferiora ramulorum ſenſim minora,

Nyctanthes elonga

longata.



Basire, Sc,

minora, infima vero cordato-ovata, parva. *Flores* in ramulis terminales, 5 vel 6 congeſti, ſubumbellati, breviter pedicellati. CALYCIS perianthium monophyllum, tubulatum, minimum, perſiſtens, ſex vel ſeptemfidum: laciniis ſubulatis, piloſis. COROLLA monopetala; *Tubus* cylindricus, ſtriatus, longus, pollicaris, ſuperne incraſſatus; *Limbus* planus, octo vel novempartitus: laciniis ovato-oblongis, acutis. STAMINA, *Filamenta* bina, brevia; *Antheræ* lineares, obtuſæ, utrinque ſulcatæ, intra tubum corollæ occultatæ. PISTLLUM. *Germen* ſubrotundum, truncatum, retuſum, glabrum. *Stylus* filiformis longitudine ſtaminum. *Stigma* incraſſatum, bifidum.

Nyctanthes elongata.